

Vereor, ne haec forte cuipiam nimis antiqua § 56.
et iam obsoleta videantur.

Aput ineruditos iudices exempla de vetustate prolata
minus efficaciae habent, quoniam videri possunt ab oratore
5 confingi. Hoc etiam Demosthenes κατὰ Ἀριστογείτονος
in consilio habens ita dixit: καὶ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν
παλαιῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐφ' ὑμῶν αὐτῶν ἀναλογίσασθε et
reliqua.

P. Servilius.

10 Collega fuit in consulatu Appio Claudio bellumque
gravissimum in Cilicia gessit; inter cetera etiam Phaselida
et Olympum subiecit; unde rebus bene gestis Isauricus
cognominatus est.

Vidi conlucere omnia furtis tuis.

§ 58.

15 Vehementi παραπροδοκία καὶ μετὰ μεταβολῆς *con-*
lucere omnia furtis illius vidisse se dixit, quasi non esset
ornatus fori, sed confessio rapinarum.

Qui se iudiciorum dominos dici volebant,
harum cupiditatum esse servos.

20 Ἐκ τῶν ἀντιθέτων aspere laceravit Hortensium, cum
illum dicat habuisse in iudiciis dominationem, eundem
tamen pati significet in his luxuriae apparatibus quandam
libidinis servitutem.

Ex suis templis ablata in foro venerabantur. § 59.

25 Graecorum quidem mentes cerimoniosas et deorum
observantissimas ostendit, invidiam tamen hoc ipso Verris
accumulat, quo magis illos miserabiles facit, qui Romae
simulacra deorum recognoscentes venerarentur, ut, quamvis